



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiae, 1688**

De Sacramento Pœnitentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)



recipiant. Confirmatos, si necessarium fuerit, in dogmatibus fidei erudiant, curabuntque, ut devotè enutrientur. Inter Patrimum, vel Matrinam, confirmatum, huiusque parentes confurgit cognatio spiritualis Matrimonium dirimens.

§. 3.

### *De depositione fasciæ à fronte confirmati.*

**Q**uamvis benè fieret, si fasciæ à Pastore, Sacellano, aut alio quovis Presbytero deponeretur, si tamen Patrinus, vel Matrinx in Confirmatione adhibiti fasciam deponant, modus sequens observetur. Primò aqua munda pelvi, aut scutellæ mundæ infundatur, in eadem adhibito pauco sale fasciæ, denique frons confirmati abluatur, gossypium, seu linteolum adhibitum unà cum aqua igni affundatur, etiam fasciæ, nisi quis fortè deinceps pro quodam confirmando, seu ejus usu asservare vellet, in quo casu tamen nulli alii rei fasciæ illa inserviet. Absque causa relevante ablutio hæc non fiat statim, aut primo die, quo quis Confirmationem recepit, sed in tertium relinquatur diem. Propter fasciæ illius solutionem, aut Chrismatis de fronte abluionem cognatio spiritualis non contrahitur.

## DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

**P**oenitentiam quidam definiunt, esse Sacramentum reconciliationis cum DEO post lapsum in actibus poenitentis, & absolutione Sacerdotis per modum iudicii consistens. Alii esse Sacramentum novæ legis constans confessione dolorosâ poenitentis, & absolutione legitimâ Sacerdotis ad peccati post Baptismum commissi remissionem significandam, & conferendam à Christo institutum.

### *Materia.*

**H**oc Sacramentum Poenitentiae (quæ est secunda post naufragium tabula) habet pro materia proxima quidem actus poenitentis, videlicet cordis contritionem, confessionem, & satisfactionem; pro remota verò peccata post Baptismum commissa.

E 2

For-



## Forma.

**E**go te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris  
& Filii, & Spiritûs Sancti. Amen. Et si quidem

preces ante, & post absolutionem proferendæ, essentiam non ingredientur: utiles tamen sunt, piæque, ac laudabiliter ex præscripto Ecclesiæ adjungi debent, nisiurgens necessitas mortis excuset; tunc enim sufficeret hæc forma:

*Rituale Rom.* Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris  
& Filii, & Spiritûs Sancti.

## Minister.

**M**inister hujus Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absol-  
vendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Ordinariam  
dicitur habere ille, cui competit ratione officii sui, habentis annexam  
curam animarum. Qualis est jurisdictio Papæ in totam Ecclesiam; Epif-  
copi, & ejusdem Vicarii Generalis in totam Dioccesin, & Parochi in suam  
parochiam. Delegatam jurisditionem habet, qui eam non ratione sui  
officii ordinarii, sed ex concessione alterius ordinariam habentis accepit;  
veluti accipiunt omnes Parochi respectu alienorum parochianorum, quo-  
tiescunque hi facultatem impetrant confitendi extraneo. Concilium Trid.  
Sess. 14. cap. 7. docet, nullius momenti absolutionem eam esse debere,  
quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non  
habet Jurisdictionem. Per Excommunicationem autem, Suspensionem,  
& Irregularitatem tollitur utriusque potestatis, tam Ordinariæ, quam  
Subdelegatæ usus.

Omnes Confessarii examinari, quando videbitur, ab Episcopis, &  
approbari debent, ne minus idonei, etiam Regulares potestate hac utantur.  
Servandumque, quod statuit Concil. Trid. Sess. 23. cap. 15. de reform. his  
verbis: Quamvis Presbyteri in sua ordinatione, à peccatis absolvendi po-  
testatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regu-  
larem posse confessionem sæcularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad  
id idoneum reputari, nisi parochiale beneficium, aut ab Episcopis per exa-  
men, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, &  
approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Privilegiis, & consuetudine  
quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.

## Confessio.

**Q**uinq; sunt præcipuè conditiones Confessionis, ut sit valida, nempe,  
ut sit integra, diligens, fidelis, lachrymabilis, & obediens. Sunt &  
aliæ conditiones, utiles quidem, sed non necessariæ: omnes autem  
continentur hoc tetraſticho:



*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,  
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,  
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,  
Fortis, & accusans, & sit parere parata.*

### Sigillum Confessionis.

**S**igillum Confessionis est obligatio servandi Secreta, & tecta illa omnia, quæ accepta sunt ex confessione tendente ad Sacramentum Pœnitentiæ, saltem secundum propositum confitentis. Est hæc obligatio strictissima, ita, ut in nullo unquam casu, ullius boni consequendi, aut mali declinandi causâ violare sigillum liceat directè, vel indirectè, ante, vel post mortem confitentis; potestque Confessarius dicere, & jurare se nescire, quia nescit, ut homini subjectus. Præterea prohibita est Confessario omnis actio, quæ ex notitia peccati, cum periculo directæ, vel indirectæ revelationis procedit: sicut & omnis gubernatio privata ipsius pœnitentis ex tali scientia, etiamsi nullum sit periculum infamationis apud alios.

### De Casibus reservatis.

**C**asus reservati dicuntur peccata quædam graviora, & majora, quæ à Romano Pontifice, & Episcopis sanctè, & justè reservantur, à quibus inferiores absolvere non possunt, & si absolvant, de facto peccant; & irrita, & nullius momenti est absolutio. Ratio hujus est duplex utilitas non minima. Prior, quia hac ratione deterrentur à gravioribus peccatis perpetrandis. Quod enim à quovis absolvi potest, facilius committitur. Altera verò, quod majores, & periculosiores morbi reservantur peritioribus medicis.

Ut autem Confessarii nôrint, qui casus Sedi Apostolicæ, & Episcopo sunt reservati, legant sequentia.

## BULLA COENÆ DOMINI.

Continens casus præcipuos Summo Pontifici reservatos,

*Cujus transumptum mandat Pontifex ut*

*Confessarii penes se habeant,*

Soletque singulis annis in Cœna Domini publicè legi.

**I**N nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.